



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

4. Verbo Dei, tanquàm Vecte, Architectonico, transfertur Mons.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

cernuntur corpora, cœlum, mare, terram, aërem, & quicquid in iis est. Jam ponderentur ista omnia, deprehendentur esse gravitatis penè incomparabilis. Sed nihil transferantur ex abyſſo Nihili, nunquam erunt ad Mundum fabricandum usui. Quid fecit Architectus DEUS? Accepit suum Vectem, quem semper habet ad manum, & immisit in Nihili cavernam infinitam, ubi latebant illa à me antea commemorata, quæ momento temporis extraxit, eduxit, transtulit. Nec fuit opus ullo alio instrumento ad ingentem hanc Mundi machinam ex partibus illis componendam. Hoc animadvertit ingeniosè Architecti nostri Scriba velociter scribens, & quod in Genesi pluribus explicatur per multas creaturas, exprimit Brevissime Propheta David Psalmo xxxii. *Ipsè dixit & facta sunt. Verbo Domini cœli firmati sunt.* En Vectem Omnipotentia VERBUM DOMINI, quo elevatur ex NIHILo, quod pondere prægravante, fuerat eatenus in fundo abyſſi.

ARTICULUS IV.

VERBO DEI

Tanquam Vecte Architectonico, transfertur Mons.

NOta refero, & decantata in Ecclesiâ. Gregorius Neocæsareæ Ponti Episcopus, (a) vir sanctitate, doctrinæque illustris, à multitudine & præstantiâ miraculorum *Thaumaturgus* appellatus, cùm volens ædificare templum in loco ad id idoneo, videret angustiorè esse quàm ædificium exigeret, eo quod ex una parte rupis maris, ex alia monte proximo coarctaretur, accepit

(a) *Vita. Breviarium Romanum XVII. Novemb.*

tanquam Architectus Christianus Vectem ingentem, illumque, ut potuit, Monti supposuit: tum facillimè Montem transtulit, ut tantum spacii relinqueretur structoribus templi, quantum commoditas postulabat. Quis ille fuit VECTIS? non alius, quàm VERBUM DEI. DEUM VERBI sui admonuit magnus DEI SERVUS: Verbum orationis protulit: Verbo, tanquam Vecte, Montem transtulit.

ARTICULUS V.

VERBO DEI

Velut Vecte, Peccatum & Peccator, pondera gravissima facillimè transferuntur.

VULTIS aliud pondus multo enormius præcedente elevari & transferri eodem Vecte supremi Architecti? Disputatur subtiliter à Theologis, non quæ sit maxima gravitas in corporibus, seu quod sit corpus omnium gravissimū; hoc enim spectat ad Philosophos inquirere, qui multis, de maximo quod sic, & gravissimo quod sic inter se altercantur; sed de gravissimo, quod est in rerum natura, etiam in spiritualibus. Et post longam acerbamque partium concertationem eo devenitur, ut concludatur gravissimum omnium esse peccatum mortale, & peccatorem lethiferi criminis sarcina oneratum. Rationem dant, qui optimam solent, istiusmodi. Gravitas peccati mortalis est infinita in ratione offensæ, quia eo offenditur Deus infinitus: ob quam causam meretur, pœnam infinitam, si non intrinsicè, quod negant aliqui saltem extensivè, quod omnes adfirmant: & negari non potest, cum de fide sit, hinc decedentem peccato mortali